

mirans hominis industriam, Hamburgi narravit *Martinus Murray*: qui *Mullerum* in Angliam deduxerat; & in domo *Castelli* cum eodem vixerat; ejusdemque, cujus ille, fuerat laboris confors.

De reliquis ejus studiis dicere superfedemus: atque studiosos *Mulleri ad Catalogum librorum ejus*, quem subjunximus, ablegamus. De *Linguae Sinicae* tamen studio, quo imprimis fuit per universam pene Europam celebratus, non dicere non possumus. Hujus enim singularem prorsus eum habere scientiam, fama pervulgata apud omnes erat opinio. Itaque cum eruditi in ejus admirationem hac potissimum de causa erant conversi: tum a *Serenissimo Electore Brandenburgico FRIDERICO WILHELMO*, amabatur, colebaturque beneficiis: & expetebatur etiam ab *Augustissimo imperatore LEOPOLDO*. Atque in Electoris quidem gratiam *librorum Sinicorum*, quos tum Electoralis Bibliotheca habebat, & confecit *Catalogum* & ex *Annalibus Sinicis, regum*, qui genti praefuerunt, *Chronologiam* deduxit. Priorem hujus Chronologiae partem non vidi. Posteriori autem, cujus exemplaria adhuc in Bibliotheca Regia extant complura: explicatur *temporum regumque apud Sinenses ordo; ab anno ante natum Christum CCCC XXV. usque ad annum O. R. cl. CCC. XXIX. & amplius aliquanto, e libris Sinensium ducentis septuaginta sex.* Huic quoque ex iisdem Annalibus Sinicis excerptam obtulit anno cl. lcc LXXXV. *Eclipseos historiam: quae patiente Salvatore Sinas quoque obstupescit.* Atque haec quidem typis excusa, ac luci exposita publicae, fidem faciunt: nequaquam eum fuisse hujus linguae rudem. Tentatus in eodem genere quoque est ab Imperatore: misso Vienna literarum exemplo; quas idioma gemino, Sinico ac Tartarico, e China acceperat. Ei quoque satisfecisse dicitur: atque e Sinicis notis literarum sententiam explicasse.

Captum se ait hujus linguae desiderio (*in Dedicacione Hebdomadis Observationum de rebus Sinicis ad Laurentium Christophorum de Somniz Electoralem in Pomerania Cancellarium*:) quum *Athanasius Kircherus*, Jesuita celebris, in libro, quo res Sinicas illustrare aggressus est, *Monumento illo Sinico* edito, novum Theologiae facessere negotium conatus esset. Tum se animo applicuisse ad investigandas rationes linguae hujus: cum nemo praeriret; nec esset, quicum conferret ipse operam. Deinde se fecisse periculum in libris Sinicis Bibliothecae Electoralis. Atque haec quidem scripsit anno cl. lcc LXXIV. Ex epistolis tamen, quas de *Invento Sinico* partim ipse, partim ad eum Jesuitae duo, *Athanasius Kircherus* & *Adamus Adamandus* scripserunt, Ep. IX. p. 29. quam anno cl. lcc LXIX.